

Handwritten numbers and symbols on the right edge of the page, including '1.', '2', '3', and various diagonal slashes.



87

*M*

1598,3.

16  
*2/2*

# Disputatio

DE PERSONARVM SERVI-  
TUTIBVS; VSVFRVCTV  
ET VSV.

Q V A M

D. B. F.

AUCTORITATE ET CONSENSV AM-  
plissimi Iureconsultorum ordinis in illustri Acade-  
mia Tubingensi;

P R Æ S I D E,

## CLARISSIMO

### ET CONSULTISSIMO VI- RO, DN. DAVIDE MAGIRO, V. I. D.

& Pandectarum Professore celeberrimo, Præceptore suo pluri-  
mum obseruando, 10. Aprilis, exercitij gratiâ publicè, pro  
ingenij tenuitate, defendendam su-  
scipiet

CASPAR CHRISTOPH. RHOR,  
*Phorcemius.*



TUBINGÆ,  
*Typis Georgij Gruppenbachij,*

ANNO 1598.





NOBILI, AMPLISSI-  
MO, SPECTATISSIMOQUE VI-  
RO, DN. VVERNHERO BREIT-  
SCHVERDT,

DIVI RVDOLPHI II.  
ROM. IMPERATORIS INVICTIS-  
SIMI, &c. CONSILIARIO, NEC NON IN  
*eiusdem Cæs. Maiestatis Grammatophylacio*  
*Imperiali Taxatori dignissimo, Domino fra-*  
*tri suo, omni honoris & amoris*  
*cultu prosequen-*  
*do,*

HUNC INGENII SVI FOETVM,  
in gratitudinis & obseruantia Sym-  
bolum

*Dicat, consecrat, L.M.*

*Respondens*

I.

PIETATE, DO-  
CTRINA, CONSILIO, RERVM  
VSV, ET OMNI VIRTUTE PRÆSTANTISSIMO  
Viro, Dn. VITO BREITTSCHVERDT,  
Reipub. Phortzheimensis Consuli prudentissimo,  
Domino, & Fautori suo beneuo-  
lentissimo,

**E** S S E salutatum volo te, Clarissime Consul,  
Fautor ab hinc longo tempore summe meus.  
Quem commendasti patrio mihi pectore Rhorum,  
Cum pars hinc Themidis debuit esse Scholæ:

Præignus tuus est; sed tu non Vitricus eius;  
Diligis hunc animo prosequerisq; Patris.

Sic neq; Præignus tuus is; sed Filius; estq;  
Ut Natus monitis moriger usq; tuis.

Hactenus hic degit vitâ laudatus honestâ,  
Et magna studij sedulitate sui.

Huius habet, rediens ad patria mœnia, testes,  
Præsentem Latij Iuris in Arte Theses.

Has ut, Marte suo, Legum deprompsit ab ipsis  
Fontibus, & studij signa dat esse sui:

Sic ubi defendet: sic praxi ostenderit olim:  
Se studij plenum cognitione sui.

P E T R V S erat, quondam tibi filius inclytus, astra  
Nunc habitans, Doctus nomine quantus erat?

Quantus erat Tubia cum versaretur in vrbe?  
Iura colens doctâ quantus in Italia?

Quantus Spirensi cum Procurator in vrbe?  
Cæsarei summa portio laude Fori?

A z

Quant-

Quantus Casaræ nunc Consiliarius Aula  
 VERNHERVS frater, filius ille tuus?  
 Cuius summa viri BREITTSCHVERTTAM gloria gentem  
 Ornat, ut a striferum Cypria stella polum.  
 Christe, viro longæ da tempora prospera vitæ,  
 Sic dabit is charo gaudia longa Patri:  
 Christe, faue RHORO; fratres imitetur ut illos:  
 Utq; Suis quondam par decus esse queat.  
 At BREITTSCHVERTTE diu, vir præstantissime, VITE,  
 Viue senex, Pylj tempora viue Senis.  
 Ut, cui tam clari pepererunt gaudia Nati:  
 Huic quoq; priuignus gaudia magna ferat.

Erhardus Celliüs, Poët. & Hi-  
 stor. Professor in Acad. Tu-  
 bing. a. e. f.

DE

DE PERSONARVM  
SERVITVTIBVS, VSVFRV-  
CTV ET VSV, DISPV-  
TATIO.

THESIS I.



ERVITVTEM HIC NON PRO  
statu & conditione hominum, (a) sed pro  
qualitate & conditione rerum (b) accipien-  
tes, definimus generaliter; Ius (c) in re alie-  
na (d) alteri constitutum, quo dominus, ob  
illius commodum, (e) aliquid aut pati in suo,  
aut in suo non facere cogitur. (f) Estque duplex, Persona-  
rum & Rerum. (g) De priorè hac Disputatione breuiter di-  
spiciemus.

a) Hac est constitutio Iurigentium, qua quis dominio alieno contra naturam  
subicitur. §. seruitus 2. Inst. de Iur. pers. l. 4. §. 1. ff. de stat. hom. atq; adeò in re  
consistit non aliena, sed propria. (b) l. via 23. §. 2. ff. de seru. rust. præd. l. tra-  
ditio 20. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. quid aliud 86. ff. de V. S. l. qui fundum 12.  
ff. Quem seru. amitt. (c) Id indicant omnes seruitutum species, l. 1. ff. de V. S. l. qui fundum 12.  
ff. de seru. rust. præd. l. 2. ff. de seru. urb. præd. §. fin. Inst. de reb. corp. & incorp.  
(d) Nulli enim res sua seruit. l. in re 26. ff. de seru. urb. præd. l. uti frui 5. in pr. ff.  
si v. S. pet. (e) l. quoties 15. in pr. ff. de seru. non autem requiritur, vt statim  
sit vtilis, sed sufficit natura talem esse, vt aliquando vtilis esse possit. l. ei fundo 19.  
ff. de seru. (f) d. l. quoties 15. §. 1. ff. de seru. Vnde Ius suum deminuit, alterius  
auget. l. de pupillo 5. §. & bellè ff. de oper. non. nun. (g) l. 1. ff. de seru.

II.

Personæ seruitus est Ius, in re aliena, non alij rei, sed personæ  
constitutum. (a) Eius species duæ; (b) Vsfusfructus, sub quo  
habitationem (c) comprehendimus; & vsus, cuius nomine  
operas seruorum non venire, veriùs putamus. (d)

a) *l. dominus 57. ff. de Vusufr. l. 3. §. fin. ff. Quib. mod. Vusufr. amitt. l. vnus 34. ff. de aqu. cott. & estiu. quod ostendit aut aperta conuentio, l. non solum 8. §. tale ff. de lib. leg. l. pecoris 4. de seru. rust. præd. aut natura seruitutis constituta. l. veluti 6. ff. de seru. rust. præd.* (b) *l. 1. ff. de seru. l. si quis vnus 32. ff. de Vusufr.* (c) *per l. cum antiquitas 13. C. de Vusufr. iure veteri eâ vsus tantum continebatur, d. l. si quis vnus 32. ff. de Vusufr. l. si habitatio 10. ff. de Vsu & hab.* (d) *l. in hominibus 3. & l. seq. ff. de oper. seru.*

## I I I.

Vusufructus vulgò diuiditur in formalem & causalem; (a) rectiùs fortean in verum & q. Vsumfructum. (b) Verus siue proprius vsusufructus est ius, (c) alienis rebus (d) vtendi fruendi, saluâ rerum substantiâ. (e)

a) *Formalem intelligunt, qui separatus est à proprietate, de quo hic sermo: causalem, quem habet dominus ipsi proprietati coniunctum.* (b) *§. constituitur Inst. de Vusufr. l. 2. in fin. ff. de Vusufr. ear. rer. quæ vsu consum.* (c) *l. 1. ff. de Vusufr. in pr. Inst. h. t.* (d) *Definimus hic Vsumfructum absolute ita dictum, qui seruitus est l. 1. ff. de seru. seruitus autē nulla, nisi in re alienâ, l. vti §. ff. si Vusufr. pet. l. in re 26. ff. de seru. vrb. præd. vnde illud, vsumfructum dominij partem non esse l. recte 25. ff. de V. S.* (e) *Remouentur hac differentia à iure fructuarij consumptio rei, §. constituitur, ibi, exceptis Inst. h. t. & transformatio, l. si cuius videlicet. §. sed si adium ff. de Vusufr.*

## I V.

Constituitur Vusufructus aut vsu & possessione nostra, longi scilicet temporis præscriptione; (a) aut aliunde, partim facto hominis, partim lege. Facto, vel iudicis in iudicijs diuiforij, (b) vel priuati, p. domini, (c) tam inter viuos pactio- nibus ad res transferendas comparatis, (d) quàm in vltimis voluntatibus. (e) Lege; vt, patri in bonis filijfam. aduentitij; (f) in bonis liberorum emancipatorum pro dimidia; (g) de- nique & mulieri, superstibus ex priore matrimonio liberis, ad secunda vota transeunti. (h)

a) *l. vlt. in fin. C. de præscr. long. temp.* (b) *familia erciscunda, cõmuni diui- dundo, cum alteri fructus, alteri proprietates assignatur l. Vusufructus 6. §. 1. h. t. l. si quis 6. §. officio ff. com. diuid. l. & puto 16. §. 1. ff. fam. ercis. in quibus si ali- j fundum, alij vsumfructum fundi iudex adiudicauerit, non communicabitur vsu- fructus*



fructus, d. l. 16. §. 1. (c) §. 1. Inst. de V usufr. l. vti 5. ff. si V usufr. pet. etiam nuda proprietate, hic enim nihilominus dominus dicitur. l. rectè 25. ff. de V. S. cum sc. V usufructus ad proprietatem redierit, siue id viuo testatore contingat, siue mortuo, siue ante, siue post aditam hereditatem. l. si dominus 72. l. quod nostrum 63. ff. de V usufr. Hinc Superficiarius & Emphyteuta non directò, sed tuitione Pratoris vsum fructum constituunt, l. 9. §. 1. ff. V usufr. quem cau. l. 1. in pr. ff. Quib. mod. V usufr. amitt. l. 1. §. 6. & vlt. ff. de superfic. (d) l. 3. in pr. ff. de V usufr. §. 1. Inst. eod. p. stipulatione, venditione, permutatione, donatione, d. l. 3. d. §. 1. l. 1. §. 7. ff. de superfic. (e) d. l. 3. in pr. ff. de V usufr. d. §. 1. Inst. eod. ita tamen, vt testator nominatim deducat Vsum fructum, d. §. 1. alias enim, si alij vsum fructum, alij fundum legat, communicabitur, quòd interdum plus valet scriptura, quàm per actum sit. l. si alij 19. ff. de V usufr. leg. & ita locum habebit Ius ad crescendi l. 3. in fin. ff. de V usufr. ad cresc. (f) l. cum oportet 6. in pr. vers. Si quis itaq; C. de bon. quæ lib. §. 1. vers. quod nobis, Inst. per quas pers. cuiq; acquir. (g) d. l. cum oportet 6. §. cum autem 3. C. de bon. quæ lib. §. hoc quoq; 2. vers. Ideoq; statuimus, Inst. per quas pers. (h) l. fæmine 3. & auth. ex testamento C. de secund. nup. An & turpiter viuenti post mariti mortem? arbitramur, arg. l. his solis 7. C. de reuoc. don. Nou. 39. c. 2. §. 1.

V.

V usufructu vltima voluntate constituto, sola defuncti sufficit voluntas, (a) dies verò eius cedit tunc, cum & venit; (b) inter viuos, traditio requiritur; (c) vtroque modo constitui potest purè, ex die, ad diem, sub conditione, ad conditionem, (d) pro parte indiuisa vel diuisa. (e)

a) l. fundus 4. ff. si V usufr. pet. l. is qui fundum 31. ff. de V usufr. leg. absq; seruitutu q. traditione, ea enim quæ legantur, rectè à viâ ab eo, qui legauit, ad eum, cui legata sunt, transeunt. l. 64. in fin. ff. de furt. etiam ignorantem l. 19. §. 1. ff. Quem seru. amitt. vnde legatarius statim Vsum fructum vindicare potest, l. si Titio 10. ff. de V usufr. leg. (b) Vnde non cedit, si hereditas non sit adita l. 1. §. 2. ff. Quand. dies V usufr. leg. ced. si V usufructus ex die sit relictus, & dies nondum venit, d. l. 1. §. pen. Si verò in dies, aut menses, aut annos singulos sit relictus, dies eius non semel cedit, sed per tempora adiecta d. l. 1. in pr. ff. Quand. dies V usufr. leg. (c) in re incorporali patientia pro traditione est. l. 1. in fin. ff. de seru. rust. præd. (d) l. 4. l. 54. ff. de V usufr. l. 16. §. 2. ff. fam. ercisc. l. 16. ff. Quib. mod. V usufr. amitt. l. ambiguitatem 12. C. h. t. (e) l. 5. ff. de V usufr. l. 1. §. si V usufructus ff. ad l. Falcid.

Con-



## V I.

Constituitur verbis quibuscunque, (a) modò constet, de constituendo usufructu actum esse. Vnde quæritur, si fundi fructus vel redditus annui legentur, vtrum usufructus sit legatus? Nos distinguendum putamus. (b)

a) Tam in supremis voluntatibus, quàm in conuentionibus l. in legatis 21. C. de legat. l. omnes 10. C. de contrab. & committ. stipul. (b) an hæc mens testatoris fuisse videatur, nec ne l. si quis 20. ff. de V. usufr. l. antepen. ff. de V. usufr. leg. l. fundi 30. ff. d. t.

## V I I.

Controuersum est quoque, vtrum V. usufr. cum onere constituendæ seruitutis, vel rei non alienandæ relicto, proprietatis relicta censeatur? (a) nos affirmatiuam defendemus. (b) Quid de V. usufr. prædij, cum onere fideicommissi, legato? sub distinctione affirmatiuam quoque. (c)

a) l. Proculus 19. ff. de V. usufr. (b) cum Cuiacio, Accursio & alijs. (c) l. vlt. ff. de V. usufr. ear. rer. quæ usu consum. l. species ff. de aur. & arg. leg. nisi testator imperitiâ lapsus ita legauerit, quia scil. putârit, V. usufructum morte non extingui l. qui fructus 25. ff. de V. usufr. leg.

## V I I I.

Consistit proprius usufructus in rebus tantum corporali- bus, (a) tam mobilibus, quàm immobilibus, si ad aliquid sint vtilis, (b) & usu non consumantur. (c)

a) Est enim V. usufructus qualitas, quæ in corpore consistit, l. 2. ff. de V. usufr. Deinde V. usufructus usum quoque in se habet l. per seruum 14. §. 1. ff. de V. usufr. & hab. At re vti est rem tractare, non tractari potest, nisi quæ tangi, nec tangi, nisi res corporalis potest. §. 1. Inst. de reb. corp. & incorp. (b) Nulla enim seruitus, nisi quæ sit parata commodi nostri causa, l. quoties nec 15. ff. de seru. Vnde dubitatũ, an nominatum vel statua V. usufr. possit constitui, in l. nominatum 28. l. statua 41. ff. de V. usufr. (c) l. omnium 3. §. 1. l. 7. in pr. ff. de V. usufr. §. 1. Inst. d. t.

## I X.

Et in parte bonorum, (a) vel bonis omnibus (b) consistit. An verò usufructuarius omnium bonorum æ alienum soluere teneatur? negamus. (c) Quid si vxori relinquatur omnium

um bonorum vsufuctus? ad alimenta tantum plerique re-  
stringunt Interpp. quam bene, videbimus. (d)

a) si non sit specialiter facta partis mentio, dimidia pars bonorum contine-  
tur l. etiam 43. h. t. arg. l. recte 25. §. fin. l. nomen 164. ff. de V. S. (b) l. omnium  
29. ff. h. t. nisi excedat dodrantis aestimationem, l. quotiens 34. in fin. ff. eod. Proin-  
de legato omnium bonorum vsufr. debetur etiam vsufuctus nominum debitorum,  
l. vxori mea 37. ff. de vsufr. leg. (c) detracto tamen ere alieno, vsufr. minue-  
tur l. vsufuctu 69. ff. ad l. Falcid. l. fin. ff. de vsufr. leg. (d) l. vxori 37. ff.  
de vsufr. leg. excepta tamen filiorum legitima, cuius & proprietatis & vsufuctus  
ad eos spectat. l. quoniam C. de inoff. testam. Nou. 18. c. 3.

X.

Constitutum hoc modo vsufuctum vt consequatur fru-  
ctuarius, cautionem interponat, oportet. Et is, (a) qui verum  
vsufuctum acquirere vult, cuiuscunque rei, (b) quocun-  
que modo (c) constitutum, cauere debet ei, ad quem fini-  
tus est rediturus, (d) se boni viri arbitrato vsurum fruiturum,  
(e) & finito vsufuctu, quod inde exstabit, restitutum. (f)

a) si cui per fideicommissum relictus est vsufr. solus is cauere debet heredi, non  
legatarius l. si vsufuctus mihi 9. in pr. ff. vsufr. quem. cau. aliter, si aliquo ca-  
su vsufuctus in persona fideicommissarij amissus, ad legatarium redire possit. d.  
l. 9. Remissa tamen hac cautio est Imper. Iustiniani Constitutione patri, in vsufu-  
ctu bonorum aduentitiorum filijs. pro lure veteris dominij, quod plenum olim in his  
bonis illi acquirebatur. l. cum oportet 6. §. non autem l. vlt. §. fin autem C. de bon.  
que lib. (b) siue mobilis siue soli. l. si cuius 13. in pr. ff. de vsufr. l. 1. §. 1. ff. vsufr.  
quem. cau. (c) l. 1. §. 2. ff. vsufr. quem. cau. nec interest, vtrum sit constitutus  
iure ipso, vel iurisdictione pratoris, l. si vsufuctus 9. §. illud ff. eod. h. e. sit ne legatus  
an per fideicommissum relictus l. si quis vsufuctum 29. ff. de vsufr. leg. a vero  
domino, an ab emphyteuta vel superficiario constitutus. l. 1. in pr. ff. Quib. mod.  
vsufr. amitt. l. 1. §. vlt. ff. de superfic. (d) §. vlt. Inst. de vsufr. proinde pro-  
prietario semper, & si plures, singulus pro sua parte. l. 9. in fin. ff. vsufr. quem. cau.  
fructuario, si duobus coniunctim vsufr. sit legatus l. si tibi 8. in fin. ff. vsufr. quem  
cau. si sub conditione alicui proprietatis sit legata, cauebit huic & heredi. d. l. si tibi 8.  
(e) l. 1. in pr. & §. cauere ff. vsufr. quem. cau. (f) quibus verbis inerit aliquan-  
do proprietatis aestimatio, si sorte facto aut culpa fructuarij perierit, aut deterior  
facta sit. l. 1. in fin. ff. vsufr. quem. cau.

B

Si



## X I.

Si cautio hæc non interuenerit, desiderante proprietario, nondum tradito usufructu, actio fructuario denegatur: (a) tradito, rem suam propriarius vindicare potest, (b) vel stipulationem condicere. (c) De illo quæritur; an remitti possit? testatorem illam remittere non posse, (d) proprietarium vel heredem posse, (e) verius videtur.

a) *l. si cuius 13. in pr. ff. de Vusufr.* (b) *Exceptionem de re Vusufructus nomine tradita, replicatione doli mali, aut in factum remouere potest. l. etsi 7. ff. de Vusufr. ear. rer. qua usu conf.* (c) *non rectâ, sed obliquâ viâ l. hoc Senatusconsultum, 5. §. 1. ff. de Vusufr. ear. rer. d. l. etsi 7. ff. Vusufr. quem. cau.* (d) *l. scire 7. C. vt in poss. legat. Idq; in fauorem heredis receptum est, ne detur legatario re nostra abutendi, proindeq; delinquendi occasio, arg. l. illud 5. ff. de pact. dot.* (e) *Omnes enim licentiam habent, his qua pro se introducta sunt, renunciare l. pen. C. de pact.*

## X I I.

Et si autem hæc cautio fiat tantum fideiussoribus datis; (a) si tamen Vusufructuarius fideiussores propter inopiam habere non possit, an iuratoriæ cautioni committi debeat? distinguendo respondemus. (b)

a) *Videtur nuda tantum cautio hic à pratore exigi, ex inscriptione, ex l. 1. & tot. ferè tit. ff. Vusufr. quem. cau. exigitur autem satisdatio, l. si cuius 13. in pr. ff. de Vusufr. l. etsi 7. ff. Vusufr. quem. cau. l. 4. C. de Vusufr. qua cum pratoria, fideiussoribus, secundum eius naturam, fiat necessum est, l. pratoria 7. ff. de prator. stipul. l. 1. ff. qui satisd. cog.* (b) *si homo sit frugi, vt admittatur ad iuratoriæ cautionem arg. auth. generaliter C. de Episc. & Cler. l. 1. §. 2. C. de adfert toll. sin suspecta vitæ, propriarius in possessione rei fructuariæ tanquam custos & obseruator esse iubeatur, ne quid res detrimenti capiat, arg. l. sed si is 5. §. quoties 2. ff. de Carbon. edict. aut curator, per quem bona administrantur, constituatur arg. l. 5. §. Imperator ff. vt legator. nom. cau. hæc enim equitas suggerit, etsi iure desiamur. l. 2. §. Item Varus ff. de aq. & aq. pluu. arc.*

## X I I I.

Constituto quæsitoque Vusufructu, consequitur fructuarius commoda & onera. Commoda sunt, possessio rei fructuariæ  
natu-

naturalis, (a) & quæ illam sequuntur adminicula; (b) vtendi fruendi ius, & fructuum perceptio.

a) l. naturaliter 12. in pr. ff. de acquir. poss. l. possessio 9. in pr. ff. eod. vt autem naturaliter rem teneat b. e. corporaliter, necessum est ideo, quia vti frui non potest, nisi res sit in eius manu & potestate. Huic consequens, quantocunq; tempore rem tenet, eam vsucapere non potest. S. Idem placet Inst. per quas pers. cuiq; acquir. l. neg. 8. C. de vsufr. (b) sine quibus vti frui non potest. l. 1. 6. 1. ff. si vsufruct. pet. arg. l. 2. ff. de iurisd. l. 3. S. vlt. ff. de seru. rust. præd. Ideoq; vsufructu fundi aut adium legato, debetur aditus d. l. 1. & si quæ sint seruitutes aliæ ad fruendum necessaria, d. l. 1. l. si is qui binas 30. ff. de vsufr. Hinc modica quoq; seruis castigatio fructuario concessa est. l. sed sicuti S. 1. ff. de vsufr.

X I V.

Vtendi fruendi ius habet non tantum in omnibus rei fructuariæ partibus, siue fuerint ab initio, (a) siue postea accesserint; (b) sed & in ijs, quæ solummodo vsu vel destinatione patrisfam. ad rem fructuariam pertinent, (c) vel in ea continentur. (d)

a) l. 7. in pr. ff. de vsufr. l. Item si fundi 9. in pr. ff. d. t. De thesauro in fundo fructuario reperto Dd. dubitant; nos dimidiam eius partem vsufructuario, dimidiam verò proprietario adiudicamus. si scil. non dat à operâ, sed fortuito à fructuario sit inuentus. per l. si is qui 63. ff. de acquir. rer. dom. & S. thesauros 39. Inst. eod. (b) p. alluione d. l. 9. S. huic vicinus, aliaratio insule eius, quæ iuxta fundum fructuarium nata est, quàm alluionis d. l. 9. eadem refectiois, non solum fructuarij, sed & domini. l. 7. S. quoniam. ff. d. t. (c) sic fundi vsufructu legato, etiam instrumenti datus intelligitur d. l. 9. S. instrumenti l. sed si 15. S. proprietatis ff. de vsufr. vel si sit ager, vnde palo in fundum, cuius vsufructus legatus est, solebat paterfam. vti, vel salice, vel harundine d. l. 9. S. Instrumenti, ita tamen ne vendat. (d) vnde apum quoq; quæ in fundo fructuario sunt, & venationis ferarum vsufructus ad legatarium pertinet. d. l. 9. S. 1. S. aucupiorum. ff. h. t.

X V.

Et pertinent ad fructuarium rei fructus indistinctè omnes, siue naturales, (a) siue ciuiles, (b) dummodo secundum conditionem rei percipiantur. (c) Vnde in fructu non sunt; par-



tas ancillæ, (d) arbores grandes, (e) silua non cædua, (f) & interdum venatio. (g)

a) *Ut in agris segetes, poma, l. qui scit 25. in pr. § 1. l. fructus, 45. ff. de vsur. in pecudibus, lac, pilus, lana, fœtus l. in pecudum 28. ff. eod. apum faui. d. l. 9. §. 1. ff. de Vsufr. (b) qui per occasionem rei percipiuntur, vt ex operis seruorum l. 4. ff. de oper. seru. §. de ijs 4. Inst. per quas pers. cuiq; l. 21. & seqq. ff. de Vsufr. sic in fructu sunt, Vsum fructum alij vendere, locare, gratis concedere, l. arboribus 12. §. Vsufructuarius ff. de Vsufr. §. 1. Inst. de vsu & hab. pignori dare, l. fructus 72. ff. de R. l. l. vlt. ff. de vsur. non propter se, sed propter commodum & fructum, qui ex his percipitur. Et si quid damni infecti actione consequitur, proprium eius fit, tanquam rei fructus, vt pote per causam rei perceptum, l. 7. §. 1. ff. de Vsufr. (c) d. l. item si fundi 9. in pr. & §. 2. ff. de Vsufr. Semper enim in Vsufructu vsus inest, l. per seruuum 14. §. 1. ff. d. t. sed qui non secundum conditionem rei vtitur, abutitur, d. l. 15. §. 1. ff. d. t. Quod & in ciuilibus obseruandum fructibus, d. l. sed si quid 15. §. 4. & 5. (d) §. in pecudum 37. Inst. de rer. diuis. l. vetus 68. ff. de Vsufr. l. in pecudum 28. ff. de vsur. quia non ancilla eius rei causa comparantur, vt pariant, l. ancillarum 27. ff. de hered. pet. (e) l. sed si grandes 11. l. si cuius 13. §. fructuarius ff. de Vsufr. hoc verum, quamdiu stant integrae, demortuae namq; ad fructuarium pertinent, l. agri 18. ff. de Vsufr. vi tempestatis deiectæ ad proprietarium, vt tamen vsus fructuario relinquatur, d. l. arboribus 12. in pr. ff. d. t. (f) quæ sic non habebatur à domino, vt esset cædua, sed excresceret in arbores grandiores, arg. d. l. 9. §. vlt. potest tamen ex ea materiam succidere ad villa, quæ in eodem fundo sit, refectionem d. l. arboribus 12. in pr. l. ex silua 10. vers. ex non cædua ff. de Vsufr. quia hætenus hunc vsum patitur, & exigit rei conditio. (g) scil. nisi fructus fundi ex venatione constet, l. venationem 26. ff. de vsur. l. 9. §. aucupiorum ff. de Vsufr.*

## XVI.

Percipiuntur fructus naturales, quando sunt editi vel separati; (a) ciuiles, ipso iure (b) vel facto fructuarij; (c) à fructuario percepti; (d) pleno iure eius fiunt; (e) sicut & pretium vsufr. venditi, (f) pensiones & mercedes locati. (g)

a) l. si fructuarius 13. ff. quib. mod. Vsufr. amit. l. si eius 78. ff. de rei vind. l. in pecudum 28. in pr. ff. de vsur. (b) vt quæ sita operis seruorum d. §. de his, Inst. per quas per. & quod donatur seruo fructuario contemplatione fructuarij, d. l. sed et si 22. ff. de Vsufr. (c) Vsufructu namq; vendito, aut locato, statim ex eo contractu sibi acquirit actionem, vnde pretium & mercedem consequitur. (d) §. is verò

verò 36. Inst. de rer. diuis. l. qui scit 25. §. 1. ff. de Vsur. l. si fructuarius 13. in fin. ff. quib. mod. Vsufr. amitt. Vnde maturi quidem, sed non separati, ad heredem non pertinebunt. d. §. is verò 36. d. l. si fructuarius 13. Fructus enim pendentes pars fundi censentur l. fructus 44. ff. de rei vind. (e) l. cum oportet 6. §. & si quid C. de bon. que lib. ita vt finito Vsufuctu aut retineat ipse, aut ad heredem suum transmittat l. 7. §. 1. ff. de Vsufr. l. si pendentes 27. in pr. l. defuncta 58. in pr. ff. eod. Quod etiam de immaturis dicendum fructibus, quos in fructu esse placet, l. si absente 48. §. vlt. l. pen. ff. de Vsufr. (f) etiam si emptor non vtatur, l. non vtatur 38. in fin. ff. d. t. (g) ita tamen, si locauit ipse; vel si proprietarius, specialiter sint comprehensa, l. arbores 59. ff. de Vsufr. & conductor fructum percepit ex re locata, vel percipere potuit, d. l. defuncta 58. in pr. ff. de Vsufr. l. si operas 16. ff. d. t.

X V I I.

An fructuarius etiam ius suum locare, vendere, donare, oppignerare possit, quæritur? quod adfirmamus; (a) rem tamen fructuariam mutare aut transformare, (b) alienare, (c) mancipia manumittere (d) proprietatem oppignerare non potest; (e) vt nec seruitutem imponere fundo, (f) quod dominus proprietatis potest, si deterior fructuarij non fiat conditio. (g)

a) §. 1. Inst. de Vsu & hab. l. 8. §. fin. ff. de pericul. & com. rei vend. l. in venditione 8. ff. de reb. auth. iud. poss. l. non vtatur 38. cum l. seq. l. cui Vsufuctus 67. ff. de Vsufr. (b) l. fructuarius 44. l. si cuius 33. §. fructuarius vers. sed neg. ff. de Vsufr. nec si excolendo meliorem domini causam faciat. l. 7. in fin. l. 8. l. si vnus 13. §. fructuarius vers. & si forte ff. de Vsufr. & hoc tamen sic intelligendum, si quid noui instituat, cuius non est constitutus Vsufuctus, non vt re, cuius est constitutus, commodius vtatur fruatur l. 1. §. 1. ff. si Vsufr. pet. vnde reficere ades potest, l. 7. §. vlt. ff. de Vsufr. agrum colere, d. l. 7. in fin. d. l. si cuius 13. §. de prateritis 2. ff. d. t. lapidicinas & fodinas in fundo fructuario exercere, vel nouas instituere, l. item si 9. §. 2. l. si cuius 13. §. inde ff. eod. adificium interdum in fundo aut area ponere d. l. si cuius 13. §. si tamen in fin. l. pen. d. t. (c) l. Vsufuctu 9. C. de Vsufuctu l. habitatio 11. C. eodem. (d) d. l. Vsufuctu 9. hac enim solius sunt domini l. traditio 20. de acquir. rer. dom. l. si non 4. C. de his qui à non dom. (e) l. interest 6. C. d. t. rem enim in bonis habere debet, qui velit eam pignori obligare l. que prædum 6. C. si alien. res pig. l. & que nondum 15. §. 1. ff. de pignor. (f) l. si quis duas 6. in pr. ff. com. præd. §. Ideo autem, Inst. de seruitut. (g) l. nisi 16. ff. de Vsufr.



## XVIII.

Haecenus de commodis fructuarij, sequuntur onera. Tenetur autem fructuarius rem tueri, (a) aut si quid à sua integritate discessit, in pristinum statum reducere; p. aedes reficere, ut facta tecta habeat, (b) arbores in locum demortuarum substituere, (c) gregem supplere; (d) tenetur quoq; praediorum onera sustinere, ut sunt tributa, stipendia, vectigalia, &c. (e) & ante omnia, cautionem praestare. (f)

a) et in rebus conseruandis tantam curam et diligentiam adhibere debet, quantum diligens paterfamilias solet. l. sed cum 65. ff. de Vusufr. l. 1. in fin. l. 2. ff. Vusufr. quem. cau. Vnde tenetur ob damna à domesticis illata d. l. sed cum 65. ob seruitutum praedio fructuario de bitarum amissionem l. sed si quid 15. in fin. ff. de Vusufr. rei fructuariae usucapionem, d. l. 1. in fin. ff. Vusufr. quem. cau. &c. (b) quae sc. sponte & naturam suam aliquid vitij contaxerunt, l. 7. §. vlt. ff. de Vusufr. l. cum fructuarius 64. & l. seq. ff. eod. l. eum ad quem 7. C. d. t. non quae vetustate, d. l. 7. §. 2. d. l. sed cum fructuarius 65. ff. de Vusufr. si tamen paratus sit derelinquere Vsum fructum, non est cogendus reficere, d. l. cum fructuarius 64. l. si absente 48. ff. eod. nisi suo suorum uel facto quid deterius sit factum, d. l. 65. (c) l. agri 18. ff. eod. vi tempestatis, aut aliam aliquam externam euerfas, substituere non tenetur, l. arbores 59. in pr. ff. d. t. (d) ad quod ut teneatur fructuarius, tria concurrere debent; ut sit gregis & uniuersitatis Vsum fructus relictus, l. quid ergo 70. §. sed quod dicitur ff. de Vusufr. ut capita ex grege demortua sint, vel inutilia facta, l. vetus 68. in fin. & l. seq. ff. eod. ut sint alia capita agnata, d. l. vetus 68. in fin. cuius effectus, ut submissa fiant proprietarij, demortua & inutilia fructuarij. d. l. vel inutilium 69. ff. eod. (e) l. 7. §. 2. l. si pendentes 27. §. si quid cloacarij ff. de Vusufr. nisi testator ea nominatim heredi iniunxit, l. Vusufructu relicto 52. ff. de Vusufr. (f) l. si cuius 13. in pr. ff. de Vusufr. nam sicut fructuarius uti frui, ita & proprietatis dominus securus esse debet de proprietate d. l. sicuius; de hac cautione supra dictum satis.

## XIX.

Competit autem fructuario, ad Vsum fructus constituti traditionem actio personalis, ex stipulatu vel testamento: (a) ad traditi vindicationem actio confessoria, si alius, aut rem fructuariam possideat, (b) aut prohibeat illum uti frui, vel manu, (c) vel opere facto, (d) quo tamen casu ei datur quoq; inter-



terdictum, quod vi aut clam. (e) An utilis illi seruitutum vindicatio detur? negamus. (f) Potest tamen & nouum opus nunciare; (g) & damni infecti vtiliter stipulari. (h) Vi deictus vti potest interdicto, vnde vi, (i) & vtili actione. (k)

a) l. pen. C. de vsufr. l. 1. §. 2. ff. si vsufr. pet. An verò ex mora debentur fructus? omninò. l. quesitum 37. ff. de vsufr. l. 46. & seq. l. si vsufructus 35. l. seq. §. fin. ff. eod. l. §. vlt. ff. si vsufr. pet. (b) siue proprietatis dominus, siue extraneus, l. pen. §. 1. & vlt. ff. si vsufr. pet. aut pro possessore habeatur, l. vlt. ff. d. r. l. qui petitorio 36. l. is qui se obtulit, 25. ff. de rei vind. (c) datur autem in hoc, vt securus consequatur fructuarius fruendi licentiam, d. l. pen. §. vlt. vt si quis prohibeat eum rescire ades, fructus colligere, & c. l. vim facit 15. ff. vnde vi. l. qui pendentem 25. ff. de Act. empt. & vend. vel importare necessaria ad refectionem, atq; adeo rescire, l. veteres 4. in pr. ff. de itin. actuq; priu. (d) l. 1. §. fin. ff. de oper. nou. nunc. si quis p. adificium posuerit in fundo aut area, si fossam fecerit, firmum aut rudera immiserit. (e) l. sed & interdictum 6. ff. quib. mod. vsufr. amitt. l. semper 15. §. hoc interdicto & seq. ff. quod vi aut clam. (f) l. 1. in pr. l. vti frui §. §. vtrum, ff. si vsufr. pet. (g) non suo sed procuratorio nomine, l. 1. §. 1. & §. vlt. ff. de Oper. nou. nunc. l. 1. §. 4. ff. de remiss. (h) & quidem suo nomine l. qui bona 13. §. superficiarium ff. de dam. infect. (i) aut non admissus, si fundo exisset non vsufructus deserendi causa, l. quod est 3. §. In id, quod 13. ff. de vi & v. arm. (k) de restitutione omnium rerum occupatarum, & si medio tempore interierit vsufructus, de perceptis antea fructibus, l. cuiuscunq; 60. ff. de vsufr.

X X.

Vicissim negatoria domino ad libertatem prædio adstruendam competit; (a) & si quid fructuarius in præstitam cautionem delinquat, ex stipulatione fructuariâ actio in id, quod interest, (b) vel si finitus sit vsufr. vt, quod inde exstat, restitatur. (c)

a) l. 2. ff. si seru. vind. l. pen. in pr. & §. vlt. ff. si vsufr. pet. (b) vt si aliter vtatur, quàm vir bonus arbitrabitur, l. quid ergo 70. in pr. ff. de vsufr. l. 1. §. vtilius ff. vsufr. quem. cau. §. vlt. Inst. de V. O. atque hæc stipulatio sepius committitur, l. 1. §. pen. ff. vsufr. quem. cau. (c) de hoc quoq; casu cautio nominatim est concepta. Sed ex hac parte non semper agit proprietarius, aut enim constituitur stipulatio ipso iure inutilis, si is alienauerit proprietatem, & postea amittatur vsufr. l. 3. §. vlt. in fin. ff. vsufr. quem. cau. aut actio hinc nata, exceptione remouetur, si vel  
amissus

amissus quidem sit vsusfructus, sed repetitus d. l. 3. §. si vsusfructus ff. d. t. vel si proprietas sine facto stipulantis ad fructuarium ipsum peruenerit. d. l. 3. §. sed si quis l. si fructuarius 4. ff. d. t.

## X X I.

Vsusfructus finitur multis modis, qui ducuntur aut ex Iure auctoris, cum penes constituentem temporale duntaxat dominium fuit, (a) aut lege constituti vsusfr. si ad diem aut conditionem sit constitutus, (b) aut ex ipsa vsusfructus natura.

a) l. si sub conditione 16. ff. Quib. mod. vsusfr. amitt. omnis enim alienatio cum sua causa fieri intelligitur, cum nemo plus Iuris in alium transferre possit, quam ipse habet. l. alienatio 67. ff. de contrah. emp. l. traditio 20. ff. de acquir. rer. dom. l. nemo plus ff. de R. I. (b) l. cui vsusfr. 30. ff. de vsusfr. leg. l. si pater 3. C. de vsusfr.

## X X I I.

Naturâ suâ finitur, vel ex persona fructuarij; morte naturali, (a) vel ciuili, (b) non utendo, (c) & cessione proprietario facta: (d) vel ex re fructuariâ; interitu eius, (e) mutatione, (f) & hostili occupatione: (g) vel denique ex vsusfructus cum proprietate coniunctione: (h) ciuitati, Ecclesiæ &c. relictus vsusfructus, finitur centum annis. (i) Amittitur autem aliâs totus (k) aliâs pro parte. (l)

a) l. 3. §. vlt. ff. quib. mod. vsusfr. amitt. facta enim alicuius personam collata, personæ coherent. §. sed cum factum Inst. de stipul. seru. nisi proprietas ita sit legata, ut vsusfr. apud heredem remaneret, quo casu tantum ad primum, non ad vltiorem transit, l. antiquitas 14. C. de vsusfr. (b) capitis deminutione maximâ & mediâ l. corruptionem 16. in pr. C. de vsusfr. §. finitur Inst. eod. olim & minimâ Paul. 3. sent. 6. §. capitis, quod mutatum per d. l. corruptionem. Si tamen filius eam passus fuerit, in patris personam vsusfructus transit, l. fin. C. de vsusfr. facit l. quodcumq. 45. §. vlt. ff. de V. O. l. peruenerit 171. ff. de V. S. (c) si sc. fructuarius aut in totum non utatur, d. l. corruptionem 16. in pr. C. de vsusfr. aut si non utatur per modum in constituendo vsusfructu præstitutum, d. §. finitur Inst. h. t. l. 2. ff. de aq. cott. & aestiu. l. si communem, 10. §. 1. & l. seq. ff. quem. seru. amitt. & tempus, olim biennium, Paul. 1. sent. 17. hodiè inter præsentem decennium, inter absentes vicennium, d. §. finitur Inst. h. t. d. l. corruptionem 16. ibi, nisi talis exceptio C. de vsusfr. & deniq. si utatur quidem, sed vsus tantum se habere existimans, l. is qui vsusfructum

fructum 20. ff. quib. mod. Vsusfr. amitt. (d) d. §. finitur Inst. h. t. Quid si extra-  
 neo cedat? non extingui putamus. d. §. finitur. (e) Vsusfructus enim est  
 Ius in corpore, quo sublato, & ipsum tolli necesse est. l. 2. ff. de Vsusfr. (f) l. repeti 5.  
 § pen. ff. quib. mod. Vsusfr. amitt. Ob deteriorationem quoq; Vsumfr. amit-  
 ti. traditur; quod ex ll. autoritate negamus. tex. express. in l. 1. §. 5. ff. Vsusfr.  
 quem. cau. (g) l. si ager 26. ff. quib. mod. Vsusfr. amitt. si tamen res capta re-  
 dierit ad suos, vsusfructus iure postliminij restituitur, d. l. si ager. l. postliminium  
 19. in pr. ff. de captiu. §. si ab hostibus Inst. quib. mod. Ius. pat. (h) qua consoli-  
 datio dicitur §. finitur Inst. h. t. l. si tibi 17. l. si seruus 27. ff. quib. mod. Vsusfr.  
 amitt. l. 3. §. pen. ff. Vsusfr. quem. cau. (i) l. an Vsusfructus 56. ff. de Vsusfr. l. si  
 Vsusfructus 8. ff. de Vsusfr. leg. si tamen ciuitas ante id tempus sit deleta, quasi mor-  
 te desinet exinde habere Vsumfructum. l. si Vsusfructus ciuitati 21. ff. quib. mod.  
 Vsusfr. amitt. An relictum ciuitati annuum eodem modo finiatur? ad-  
 firmamus. l. in singulos 8. ff. de an. leg. l. cum ita 41. ff. de Vsusfr. leg. l. patri-  
 monij 22. ff. eod. (k) vt morte & capitis deminutione l. excepta 14. ff. quib. mod.  
 Vsusfr. amitt. (l) non vt endosc. rei mutatione, & consolidatione, d. l. excepta.

X X I I I.

Vt autem repetitus Vsusfructus non tam facilè, quàm sim-  
 plex amittitur, (a) sic & habitatio, & operæ seruorum, non  
 omnibus supra relatis modis; (b) & licèt hæ seruo vsucapto  
 amittantur, (c) non tamen morte fructuarij. (d)

a) præterquam rei interitu & morte fructuarij, nisi fortè heredibus le-  
 gauerit. l. repeti 5. in princ. ff. quib. mod. Vsusfr. amitt. (b) nec enim non vt en-  
 do amittuntur, nec capitis deminutione, l. si habitatio 10. in pr. ff. de Vsu &  
 hab. l. 2. ff. de Vsusfr. leg. l. 2. ff. de Oper. seru. (c) l. 2. in fin. ff. de Vsusfr. leg.  
 quamuis aliàs vsucapione aut dominij mutatione non amittatur Vsusfructus, l.  
 neg. 19. ff. quib. mod. Vsusfr. amitt. l. locum 17. §. pen. ff. de Vsusfr. (d) d. l. 2.  
 in fin. ff. de Vsusfr. leg.

X X I V.

Amisus vsusfructus ad proprietarium reuertitur, (a) nisi  
 duobus vel pluribus coniunctim sit legatus; (b) tunc enim non  
 tantùm deficientis (c) sed amittentis quoq; portio, (d) tam  
 amittenti, (e) quàm habenti partem suam (f) adcrefcit.

a) §. ult. Inst. h. t. etiam pro parte amissus, quia pro parte nonnulla cause in-  
 teritum Vsusfr. recipiunt. l. excepta 14. l. placet 25. ff. quib. mod. Vsusfr. amitt.

c

(b) vt enim



(b) ut enim in ceteris rebus, pluribus legatis, inter legatarios ius adcrendi est, §. si eadem 8. Inst. de leg. l. 1. §. inter ff. de Vusufr. adcresc. ita etiam inter fructuarios, l. 1. in princ. & §. interdum l. 3. in pr. ff. de Vusufr. adcresc. Si verò Vusufructus inter viuos fuerit constitutus, Ius adcrendi locum non habet. arg. §. 4. Inst. de inutil. stipul. (c) quod cum legatis ceteris commune est, §. si eadem Inst. de leg. l. qui ex duabus 53. §. ult. ff. de acquir. hered. (d) quod in Vusufructu amplius est. l. 1. §. interdum ff. de Vusufr. adcresc. Ratio; quia Vusufructus quotidie constituitur & legatur. (e) d. l. 3. in fin. & ll. seqq. ff. de bon. poss. l. si ex pluribus ff. de suis & legit. l. vn. §. his ita 10. & §. vbi autem seq. C. de caduc. toll. (f) l. interdum 10. in pr. ff. de Vusufr. adcresc. vide l. si Titio 33. in fin ff. de Vusufr.

## X X V.

Ius autem adcrendi inter coniunctos vusufructuarios re & verbis simul, (a) & re tantum, (b) non etiam verbis tantum, (c) obtinere putamus. Re & verbis simul coniuncti non ab initio, sed concursu partes faciunt, (d) ceteris verò præferuntur; (e) si autem commixti fuerint disiuncti & coniuncti, hi personæ tantum vnus potestate funguntur. (f)

a) l. 1. in pr. ff. de Vusufr. adcresc. l. coniunctim 80. ff. de leg. 3. quia singuli ab initio habent solidum, & concursu partes fiunt, l. idem Neratius 3. in pr. l. pen. ff. de vusufr. adcresc. (b) d. §. si eadem res Inst. de leg. (c) l. si ita quis 66. ff. de hered. instit. d. l. 3. in pr. d. l. pen. ff. de Vusufr. adcresc. iuncta l. re coniuncti 89. ibi quoniam semper partes habent legatarij ff. de leg. 3. (d) l. quidam relegatus 5. & ll. seqq. ff. de reb. dab. l. coniunctim 80. ff. de leg. 3. l. si mihi & tibi 12. in pr. vers. si voluero l. si duobus, §. ult. in verb. vindicabit, ff. de leg. 1. (e) d. l. re coniuncti 89. ff. de leg. 3. (f) l. plane 34. in pr. ff. de leg. 1. l. 1. §. 2. l. si quis Attio 7. l. si proprietatis 9. ff. de Vusufr. adcresc.

## X X V I.

Quòd si tamen alij fundum, alij eiusdem fundi Vusufructum testator legauerit; (a) si duobus eiusdem rei vusufructum, & amittenti rursus legauerit; (b) hos in Vusufr. coniunctos esse, & inter eos Ius adcrendi locum habere placet. Si verò, duobus heredibus institutis, deducto Vusufructu, legauit alicui proprietatem, (c) vel econtrà, manente apud heredes proprietate,

te, Vsumfructum eiusdem rei duobus legauerit, sed singulis ab heredibus singulis, (d) cessat ius adcrefcendi.

a) l. 3. §. vlt. l. si proprietar 9. ff. de Vsufr. adcrefc. l. si alij 19. ff. de Vsufr. leg. (b) l. sicut in annos 3. §. 1. & 2. ff. Quib. mod. Vsufr. amitt. (c) l. 1. §. vlt. l. 2. ff. de Vsufr. adcrefc. (d) l. pen. §. vlt. ff. de Vsufr. adcrefc.

X X V I I.

Hæc de proprio Vsufrectu. Quasi Vsufrectus est Ius, alienis rebus abutendi, personæ cohærens; (a) & in his præcipuè à vero distat. Primùm vltimâ tantùm voluntate constituitur; (b) deinde, in rebus fungibilibus, quarum vsus in abusu consistit; (c) denique duobus tantùm finitur modis, morte scil. & capitis deminutione. (d)

a) tot. tit. ff. de Vsufr. ear. rer. quæ vsu consum. §. constituitur. 2. Inst. de Vsufr. (b) tot. tit. ff. de Vsufr. leg. d. §. constituitur. Inst. h. t. l. 69. ff. ad l. Falcid. (c) p. vino, oleo, frumento, lana, pecunia numerata, &c. l. si vini 7. l. 5. §. 1. l. pen. ff. de Vsufr. ear. rer. d. §. constituitur. An his vestimenta connumera-  
randa? distinguimus. §. constituitur Inst. h. t. l. sed si quid 15. §. & si vestimentorum 4. ff. de Vsufr. l. si Vsufrectus 9. §. pen. ff. Vsufr. quem cau.

X X V I I I.

Cautio huius Vsufrectus (a) à testatore remitti non potest. (b) An ab herede? an patri remitti debeat, si in bonis filijfam. aduentitijs eiusmodi res sint, quæri potest? vtrumque affirmamus. (c)

a) qua cauet fructuarius se restitutum eandem rem in genere, aut eius estimationem. d. §. constituitur, l. 2. in pr. l. si tibi 6. l. seq. l. in stipulatione 9. ff. de Vsufr. ear. rer. l. et si 7. §. 1. ff. Vsufr. quem. cau. (b) l. si pecunia 6. ff. vt in poss. legat. l. 1. C. de Vsufr. (c) Prius, per l. hoc Senatusconsultum, §. si pecunia ff. de Vsufr. ear. rer. & cum hæc cautio in fauorem heredis sit introducta. d. §. constituitur, ab ipso quoq; remitti potest. arg. l. pen. C. de pact. Posterius, propter generalitatem l. fin. §. sin autem C. de bon. quæ lib.

X X I X.

Sequitur altera seruitutis personalis species, vsus; (a) qui est Ius alienis rebus vtendi, saluâ earum substantiâ. (b) Constituitur

18 *De person. seruit. Vusufructu & Vsu.*

tuitur iisdem modis, quibus Vusufr. (c) constitutus iisdem actionibus & remedijs conseruatur; (d) denique iisdem modis finitur. (e)

a) tot. tit. ff. & Inst. de usu & habit. (b) l. 1. & 2. ff. d. t. (c) d. l. 1. in pr. Inst. eod. & sicut q. Vusufr. ita quoq; q. vsus earum rerum, que usu consumuntur, constituitur, l. hoc Senatusconsultum 5. §. vlt. l. quoniam 10. ff. de Vusufr. ear. rer. & similiter cauetur de re rectè vtenda, & finito usu restituenda, l. si vini. 7. ff. de Vusufr. ear. rer. d. l. hoc Senatusconsultum 5. §. 1. & 2. ff. d. t. (d) l. filiofam. 17. ff. de usu & habit. confessoria scil. actione & negatoria, (e) in pr. Inst. de usu & hab. l. vsus aquæ 21. ff. eod.


X X X.

Differt tamen in his; primùm, quòd Vusufr. est diuiduus, (a) vsus indiuiduus; (b) deinde minus Iuris est in vsu, quàm in Vusufructu; vsuarius enim ad necessitatem tantùm re vtitur non ad vtilitatem, (c) nec Ius quod habet alienare potest, (d) cum Vusufructuarius hæc omnia facere possit. (e) Denique modica rei resectio indistinctè ad fructuarium pertinet, (f) ad vsuarium ita demum, si nullum fructum dominus percipiat. (g)

a) l. 5. ff. de Vusufr. l. 1. §. si Vusufructus ff. ad l. Falcid. (b) l. vsus pars 19. ff. de usu & hab. quia vsus in nudo facto consistit, factum verò per se diuidi non potest. (c) l. plenum 12. §. 1. ff. de usu & hab. (d) l. sed neq; 8. l. in q; eo 11. d. l. plenum 12. §. vlt. vers. operas ff. de usu & hab. §. 1. Inst. eod. nisi coniectura voluntatis testatoris etiam vsum vendi aut locari posse, suadeat; vel ex conditione persona, veluti si aurigæ legatus sit equitij Vusufructus, & testator sciuerit eum huius esse instituti & vitæ, d. l. plenum 12. §. equitij ff. d. t. vel ex rei naturâ, nimirùm, si aliter vti non liceat, quàm si Vusufructus percipiatur, veluti si vsus siluæ in alia pro-uincia degenti legatus sit, l. pen. in pr. ff. d. t. (e) l. 7. in pr. l. 9. in pr. ff. de Vusufr. §. 1. Inst. de usu & hab. (f) l. 7. §. quoniam ff. de Vusufr. (g) l. si domus 18. ff. de usu & hab. veluti adium, serui vsu relicto, & fundi, si sit mediocris, & vsu legatarij fructus consumantur, l. fundi 15. in pr. ff. d. t.

F I N I S.








X2615896

VJ 17







B.I.G.

Farbkarte #13

tatio  
 RVM SERVI-  
 SVFRVCTV  
 SV.  
 A M  
 . F.  
 CONSENSV AM-  
 ordinis in illustri Acade-  
 ngenfi;  
 I D E,  
 SSIMO  
 SSIMO VI-  
 MAGIRO, V. I. D.  
 rrimo, Præceptore suo pluri-  
 exercitij gratiâ publicè, pro  
 efendendam fu-  
 t  
 TOPH. RHOR,  
 nius.  
 N G Æ,  
 ruppenbachij,  
 1598.

M  
 1598,3. 2,1.  
 16  
 2/2

